



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



37
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO IV.

CONTINENS
ANTIΘΕΣIN ARTICVLI VI.

De

Bonis Operibus,

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S.Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO ILGEN CHEMN.

Misn. Elect. Sax. Alumn.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 21. Martij.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLECTIO TERTIA
in Augustissimi Congressus

Operibus

Operibus

Antiquissimi

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus

Operibus





D. O. M. A.

Continuatio.



Aud aliter ac reliqua Doctrinae Christianae capita; & hoc, quod tractamus *μυρο-
τέχνης* ille impostor Satanus dolosè satis
& improbè, infernali, quo adversus nos
fuit, odio, corruptit, corruptum fluctuā-
tibus suorum fidelium & ebuccinato-
rum juratorum animis implantavit, ita ut illi infelix lo-
lium inter nitentia culta spargere non cessent. Præci-
pui autem errores, qui contrà in hoc usq; tempus addu-
cuntur, & opponuntur, sunt Pontificiorum: quos me-
thodi & ordinis causâ in duas discescimus classes. In
primâ meritò collocantur: qui statim post exhibitam
confessionem suas erroneas dissensiones publicè testa-
ti sunt. In secundâ sunt, qui subsequentibus tempori-
bus Pontificios errores in crustârunt atque defen-
derunt.

T H E S I S I.

Statim post exhibitam Confessionem impugnatus est hic
articulus. 1. Responsione Catholicorum. 2. ab Andrea Fabri-
cio. 3. à Johanne à Daventria. 4. à Johanne Cochleo. 5. à Jo-
hanne Hoffmeistero, & 6. Ab Alfonso Virvesio.

II. Catholicorum, hoc est Romanensium responsio hæc
est: *Quod sexto articulo confitentur, fidem parere bonos fructus ratum gra-
tumq; habetur. Quia fides sine operibus emortua est Jacob. 2. Et tota scri-
pturas nos invitât ad opera &c. Quod verò in eodem articulo Justifica-
tionem*

tionem soli fidei tribuunt, ex diametro pugnat cum totâ Evangelicâ veritate, opera non excludente &c. Ubi magnus dictorum scripturæ numerus coacervatur, quibus bona opera commendantur. Ad dictum Luc. 17. respondent Principes: Si factores se inutiles dicere debent, quantò magis his, qui solum credunt, dicere convenit: Si credideritis omnia, dicite servi inutiles sumus. Ad dictum Ambrosij respondeat per distinctionem, inter opera Legalia & alia opera, qua non nominant. Illa, nempe Legalia, tantum concedunt excludi.

III. Concedunt ergò primùm fidē parere bonos fructus, proindeq; bona opera esse effecta fidei, verum quando in homine fluunt à fide bona opera, tanquam fructus, tùm necesse est homo sit justificatus: Cum ejusmodi opera non nisi justis & justificatis faciant: Si autem hoc, tùm justificatio est prior istis operibus, proindeque opera non sunt causa justificationis: Quod alias defendunt hi ipsi Romanenses cum cæteris Jesuitis & Pontificiis.

IV. Deinde quod tota scriptura invitet ad bona opera nos non latet: demonstravimus enim id evidentissimis dictis & rationibus ex scripturâ petitis in disputatione præcedente: contra Evangelicam verò veritatem esse, quod docet Confessio, solum fidem justificare, proindeq; bona opera ex actu justificationis excludenda esse, id contra manifestam Evangelii veritatem asseritur. Contrarium enim ad oculum & omnes sensus in præcedentibus est demonstratum.

V. Terriò consequentia, quam faciunt Catholici sive Romanenses ex dicto Lucæ, laborat vitio consequentiæ, quod vocat Philosophus *ἡ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς*. Non enim deducitur illa ex scripturæ hypothsibus; sed ex propriis phantasmaribus. Quippè quibus sibi imaginantur saltem historicam fidē otiosam & bonorum operum vacuam. Verum fallunt & falluntur. Quandoquidem fides justificans, est vera fiducia in Christum Mediatorem: quæ non est sine operibus, non quidem justificantibus, sed Deo & proximo juxta præcepta Divina inservientibus.

VI. Qui autem hæc opera faciunt, non sunt amplius servi, nedum inutiles, sed amici Dei. Non quidem quod hæc opera faciunt, sed quia verâ fide sunt præditi, verâ fiduciâ apprehen-

hen-

tenentur Christum, & ejus meritum, & per fidem illam sunt in Christo, & Christus est in ipsis, proindeq; jus filiorum Dei acceperunt Job. 1. v. 12. ut ita ipsorum opera non servorum, sed filiorum Dei opera sint, & in conspectu Dei assumentur: placentq; Deo non quia quodammodo cum lege Dei congruunt, sed quia personæ placent, & recta habent peccata. Nam hi sunt, de quibus Christus Joh. 15. v. 15. ait: *Non amplius vos dicam servos, quia servus nescit, quid fecit Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à patre meo, nota feci vobis.*

VII. Quorum verborum sententia (interpretare Doct. Hunnio) hæc est: Vos per mortem meam liberos factos, servos amplius non dixerò, quia servis non constat de gratiosâ voluntate Domini erga se: loquitur autem de mancipiis. Vos autem dico amicos, quibus de favore & benefica Patris voluntate constat, me scilicet vobis enarrasse omnia, quæcunq; audivi, id est, quæcunq; accepi à Patre, ut vobis de suo favore proponerem.

IX. Hæc autem intelligendâ & dicta sunt in respectu ad fidem, nequaquam respectu operum, licet etiam illa à fide prodeant. Nam neque ista jactare debet, neque potest homo verè credens, sive Filius Dei in conspectu Dei, sed potius illa ut debita, & sic respectu horum suam servilem conditionem agnoscere debet, simulq; in sufficientiam suam, & paupertatem, cum Paulo Rom. 7. deplorare, dolens se Deo perfectè obedire non posse, cupereq; magis & magis liberari à corpore mortis, quo gravatur.

X. Omnino ergo & ipsi fideles hoc Christi mandatum observare tenentur. Quandoquidem id non ita eludendum est cum Pelagianis & Phariseis, quod sit tantum doctrina humilitatis, & loquatur de homine quid ex sese sit, non quatenus renatus. Christus enim pronunciat hoc de Apostolis ipsis, dudum renatis, & proponit pro doctrinâ, ac præcepto veritatis, non autem fictæ humilitatis. Quando autem mandatum hoc observant, non faciunt ob hanc causam, quod vel paucioribus, vel minoribus operibus sint præditi, quàm alii, qui sibi nescio.

quem thesaurum operum imaginantur, sed propterea quod
sciant illa in conspectu Dei sine fide in se considerata esse sordi-
da, esse tanquam vestimentum inquinatum *Esai. 64. v. 6.*

XI. Distinctio tandem inter opera *Legalia*, & alia qua non
nominantur: est sine fundamento. Nam opera ut talia, omnia sunt
legalia, & ipsa fides, ut opus, legalis est, quippe à lege mandata,
licet à solo Evangelio vera illa, & salvifica monstrata. Ergo o-
mnia cætera opera sunt legalia, sive sint renatorum, sive adhuc
infidelium. Nam licet certum sit, Spiritu Domini duci pios in
studio bonorum operum non extra verbum, sed mediante ver-
bo: non tamen id fit verbo Evangelij propriè dicti, (hoc enim,
non quid operando facere, sed quid credere debeamus, mani-
festat), sed verbo Legis, juxta cujus præscriptum Renati suas a-
ctiones instituunt, atque sic viam mandatorum Dei currunt.
Quocirca Prophetæ Sancti, quando etiam renatos ad obsequia
Domini hortantur, faciunt illud ex legis doctrinâ, hoc ipso pa-
lâm docentes, esse ipsa renatorum obsequia legis opera. Et ipse
Apostolus Paulus Rom. 7. novæ suæ obedientiæ regulam, & a-
missim facit legem moralem, de quâ in toto illo capite disse-
ruerat, expressè scribēs: *Delector lege Dei secundum interiorem homi-
nem.* Et mox: *Idem ego mente servio legi Dei, carne verò legi peccati.*
Imò charitatem, ad quam Christianos Spiritu Dei regeneratos
hortatur, ipse vocat summam & finem legis: uti etiam ex lege
Decalogi disertè illis præscribit piè vivendi normam *Rom. 13.* Et
Christianorum liberos ad bona opera, hoc est, ad obsequia pia
ergâ parentes, & pietatem exhortaturus, facit id ex quarto præ-
cepto. *Ephes. 6.*

XII. Quæ cum ita sint, manet inconvulsam, ex operi-
bus Legis non justificari omnem carnem, & nullum opus no-
strum esse posse nostram justitiam, sed solius Christi opus nobis
fide applicatum fieri, & esse nostram justitiam.

XIII. Et hanc esse Ambrosij mentem, patet ex multis
aliis ejus locis, sufficit impræsentiarum unum atq; alterum ad-
duxisse. Sic in Epistola ad Irenæum quendam: *Subditus autem
mundus eò per legem factus est, quia ex præscripto legis omnes vincuntur,*
& ex

& ex operibus legis nemo justificatur, id est, quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur, videbatur lex nocuisse, quae omnes fecerat peccatores: sed veniens Dominus Iesus, peccatum omnibus, quod non poterant evitare, donavit, & chirographum nostrum sui sanguinis effusione delet. Hoc est, quod ait: Abundavit peccatum per legem, superabundavit autem gratia per Iesum. Quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Iohannes, dicens; Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factus suis justificatur: sed qui iustus est, donatum habet, quia post lavacrum justificatus est. Fides ergo est, quae liberat per sanguinem Christi: quia beatus ille cui peccatum remittitur, & venia donatur. Et circa finem cap. 3. ad Romanos: In circumcisione, inquit, Iudaeos significat, eo quod ex fide promissionis justificati sunt, credentes hunc esse Christum, quem in lege promiserat Deus. In praepotio vero gentes significat per fidem Christi justificatos apud Deum. Tam enim Gentiles quam Iudaeos non aliter, quam credentes justificavit. Quia enim omnium unus est Deus, una ratione omnes justificavit.

XIV. Consentit quoque Hieronymus, qui super Esaiam cap. 64. sic scribit: Vnde iuxta sapientissimum Salomonem omnis vir videtur sibi iustus, cum in lege versatur. Ad quos Dominus loquitur in Evangelio: Vos estis, qui vosmetipsos justificatis coram hominibus. Quod Paulus fugiens ait: Nihil mihi conscius sum, nec tamen in hoc justificatus sum, ex peccato autem Dei iustitia; de qua idem Salomon loquitur: Intelligite iustitiam veram. Ergo est alia iustitia, quae NON HABET VERITATEM, & haec est VERA iustitia, de qua rursus in Evangelio dicitur: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: Quam multi Prophetae & iusti desiderarunt videre, & non viderunt. Abraham autem vidit istam iustitiam, & letatus est: nequaquam sequens occidentem literam, sed spiritum vivificantem.

XV. Et rursus Hieronymus lib. 2. adversus Pelag. Existimamus fide justificari hominem sine operibus legis: Siquidem unus Deus est, qui justificat circumcisionem ex lege, & praepotium ex fide. Manifeste ostendit non in hominis merito, sed in Dei gratia esse iustitiam, qui sine operibus legis credentium suscipit fidem. Idem super c. Rom. 10. Ignorantes quod Deus ex SOLA FIDE justificet: & iustos se ex legis operibus, quam non custodierint esse putantes; noluerunt se remissioni
subji-

subdicere peccatorum, ne peccatores fuisse viderentur, sicut scriptum est: Pharisei autem spernentes consilium Dei in semetipsis, noluerunt baptizari baptismo Johannis.

XVI. Ubi probè notetur, quod Hieronymus verba Pauli: *Iustitiæ Dei non fuerunt subiecti, reddit per illa: Noluerunt se remissioni peccatorum subdicere, docens manifestè, Iustitiam Dei in Novo Testamento prædicatam, esse ipsam remissionem peccatorum. Et aliquanto post: Moses distinxit in Levitico inter utramq; iustitiam, fidei scilicet, atq; factorum, quod altera operibus, altera SOLA FIDE credulitate accedente fiat.*

XVII. Andreas Fabritius in scenam producit Leodium, qui ex collatione prototypi, & mutatâ editione multas studet necere antilogias. Sed non dignæ sunt, ad quas quicquam respondeatur. Quandoquidem nos non feriunt, qui mutationem ejusmodi nunquam probavimus, vel probaturi sumus.

XVIII. Johannes de Daventria multis calumniatur, bona opera à Luthero fuisse proscripita per doctrinam de solâ fide justificante. Deinde negat universam scripturam rectè dividi in legem & Evangelium. Tertio distinguit inter opera legis & fidei, itemque inter veterem legem Moysis, & Novam legem Christi. Quarto disputat de merito congrui, & condigni: Quinto de gratiâ gratis datâ, & gratiâ gratum faciente. Sexto de fide quoque simul cum peccato mortali persistente. Septimo de dilectione, quæ sit forma, & vita virtutum: Et tandem connectit opera Christi, & hominum, ut meritum Christi evadat integrum & perfectum.

XIX. Quis autem adeò stupidus & stolidus Christianus est, qui ex hisce emblematis nō intelligat, hominem istū neq; quid fides sit, neq; quid Evangelium, neq; quid bonum opus unquam rectè intellexisse, simulque egregium calumniatorem esse.

XX. Primum enim ipsum eò vesaniæ Doctor ejus Satanas impulit, ut per malitiosam & execrabilem calumniam & injuriam Luthero, & Ecclesiis nostris affricare nō pudeat, quasi bona opera prohibeant: cum tamen scripta & Lutheri, & Ecclesiarum nostrarum, quæ extant de decem præceptis, & id genus a-

mus alia, contrarium luculenter restentur, atque probent.

XXI. Cum ergo dicimus, & in Ecclesiis nostris docemus, sola fide hominem justificari, & salvari, primum non excludimus Deum ejusve dilectionem, aut misericordiam, nec meritum Christi, nec efficaciam: sed ut Deo honor, qui deberur, constet in solidum. Fides quia est agnitio Dei, & fiducia in ipsum, objectis propositis nititur, & sic sola dicitur, quod in Deum per Christum unicè incumbat, quamobrem basin non removet, cui insistit: neque secundo excludit Phrasis illa, verbum & Sacramenta, media nimirum Dei ordinaria, per quæ ad salutem, & justitiam hominis efficax est. Fides namque promissionem recipit, hujus voce excitatur, ejusdem veritate firmatur, & Sacramentis sigillis, nimirum promissioni additis, ob signatur.

XXII. Excludit verò, exclusiva illa Phrasis, omnem necessariam dignitatem, omnesque qualitates, sive sint ingenitæ, sive acquisitæ, sive habitus, sive opera, & quæcunq; alia nobis in hærentia, quæ omnia bonorum operum nomine indigitamus.

XXIII. Ut ergo neque Dei, neque eorum, quæ Dei sunt, & extra nos sunt, respectu exclusivæ dicuntur: ita contra eorum, quæ intra nos sunt, & ut qualitates nobis in hærent, sive à nobis ea proveniunt, sive à Deo in nobis facta fuerunt, eorum, inquam, exclusionem exclusivæ definiuntur; eaque omnia excluduntur, non verò, ut sibi imaginantur, & nobis affingunt Pontificii, ut non sint, sed ne ingrediantur actum justificationis, vel salvationis.

XXIV. Quare licet negemus bona opera ingredi actum justificationis; non tamen sequitur, nos illa simpliciter negare, & proscribere. Quemadmodum quoque non sequitur: Nos Lutherani negamus hunc usum: Ergo negamus omnem usum bonorum operum: Ut neque illud: Nos Lutherani affirmamus Fidem solam justificare: Ergo quoque cogimur affirmare fidem solam, & sine operibus esse.

XXV. Primum est luce meridianâ clarius. Nam negatio certæ alicujus operationis, quæ ipsi falsò tribuitur: non ita-

B

tim

tim tollit vel negat rem ipsam. Sic alterum liquet. Nam licet negemus bona opera justificare: Damus tamen bona opera esse necessaria. 1. Propter mandatum & voluntatem Dei, cui fas est nos obedire: itemque propter gloriam Dei Matth. 5. v. 16. 2. Cor. 10. v. 31. Deinde ut proximum nostris officiis juvemus & sublevemus, aliosque bonis exemplis adificemus, ut etiam benefaciendo pudefaciamus improbos calumniatores & os iis obturemus. Tandem etiam propter nosmetipsos: quippe à quib. requiritur, ut simus nova creatura in Christo 2. Cor. 5. v. 17. ut simus filii lucis, ut edamus veros fructus fidei &c. ut hac de re in præcedente disputatione fufius egimus. *Ultimum quoque nulla indiget probatione, cum multa simul licet sint, non tamen est necessarium, ut statim idem operentur.*

XXVI. Alii obiiciunt, licet non simpliciter prohibeamus Lutherani bona opera, per nostram tamen doctrinam vilescere. Sic enim Jesuita quidam Andreas superioribus annis contra Doct. Polycarpum Lyserum p. m. & sanam nostram doctrinam pro concione Pragæ disputavit: *Lutherus ipse conqueritur, quod ibi, ubi Evangelium publicè à Lutheranis docetur, magis magisque peccata peccatis cumulentur. Ergò per Lutheranorum doctrinam vilescere bona opera.*

XXVII. Doct. Polycarpus in Apologia suarum Concionum Pragæ habitarum inter alia responderet per τὸ βίαιον: *illam ipsam querelam testimonium esse, quod Lutherana doctrina urgeat bona opera, adeoque per illam vilescere nequeant.* Vera, pia, & erudita responsio, quæ tali syllogismo continetur. Quæ doctrina conqueritur de malitia hominum, peccataque coarguit, reprehendit & damnat, illa urget bona opera & illorum exercitium. Atqui Lutheranorum (ut fatetur ipse Jesuita) conqueritur de malitiâ hominum, peccataque coarguit, reprehendit, & damnat: Ergò Lutheranorum doctrina urget bona opera & eorum exercitium.

XXVIII. Porro, quæ doctrina urget bona opera, non est in causâ, ut vilescant bona opera, vel ut homines indies magis magisque peccatis inquinentur. At Lutheranorum doctrina
urget

urget bona opera, quod modò demonstratum: Ergò Lutherano-
rum doctrina non est in causâ, ut vilescant bona opera,
vel ut homines magis magisq; peccatis inquinentur.

XXIX. In causâ autem est ingratitude, contemptus
verbi, incredulitas, securitas, & quæ sunt vitia alia, de quibus
queritur Spiritus S. passim in scripturis.

XXX. Deinde negare, rectè dividi scripturam sive do-
ctrinam Christianam in scripturis contentam, in Legem & Ev-
angelium, est inficiari, quod sol in meridie luceat. Quando-
quidem ipse Christus breviter divisionem hanc complectitur
Luc. 24. v. 47. quando de officio & doctrinâ ministerii Aposto-
lici ita ait: *Oportet predicari in nomine meo pœnitentiam, & remissionem
peccatorum in omnes gentes.*

XXXI. Deinde certum est, quod nulla doctrina sacra,
sivè sit de Deo, sivè hominibus, in scripturis detur, quæ non ad
alterutram partem referenda sit.

XXXII. Quod verò ut rectè percipiatur, tenendum
est, quod omnis praxis, quam cum primis in operibus urget
Lex, præsupponat aliquam theoriam. Quia itaque præcipitur
in Lege, quod Deus colendus sit, oportet, simul doceat, quis
sit ille, qui Deus dicitur, & juxtâ præscriptum legis sit co-
lendus.

XXXIII. Quocirca qui se in lege colendum præcipit,
is simul se ut verum Deum per opus creationis, hoc est, ut æ-
ternum, justum, bonum, omnipotentem, vindicem scelerum,
&c. revelavit. Quod autem per creationis opus hominibus
revelatum est divinitus, id ad legem pertinere quis dubi-
tet?

XXXIV. Evangelium contrâ creatura constitutâ, &
opere creationis absoluto, non communi illo creationis mo-
do, sed singulari quâdam gratiâ, & revelatione patefactum est.

XXXV. Certum igitur est, quod tota religio Adæ an-
te lapsum fuerit legalis. Omne autem illud, quod de gratiâ Dei
in Domino nostro Jesu Christo nobis revelatum est, pertineat
ad Evangelium.

XXXVI. Addo & hoc, quod differentia harum partium, ipsarum veritatem, & necessitatem doceat. *Differunt autem potissimum tribus modis. Primum Forma patesactionis.* Lex enim est naturaliter nota. *Rom. 7. v. 9.* Evangelium verò à seculis fuit absconditum, revelatum verò peculiariter à Filio Dei *Joh. 1. v. 7. Ephes. 1. v. 9. cap. 3. v. 9.*

XXXVII. Deinde differunt *promissionibus.* Lex enim vitam promittit, simulque alia bona, tam hujus, quam futurae vitae, sed sub conditione hac, ut sibi perfecta praestetur obedientia *Levit. 18. v. 18. Rom. 10. v. 5.* E contrario Evangelium promittit remissionem peccatorum, justitiam, & vitam aeternam gratis propter solum Christum mediatorem, fide apprehensum sine conditione perfecte obedientiae erga legem. *Rom. 3. v. 5. c. 2. 4. v. 5. & alibi.*

XXXVIII. Tandem *officiis & effectus propriis.* Lex monstrat, accusat, damnat peccatum, nec non horribiliter terret conscientias, denunciando iram Dei, damnandoque homines propter peccata *Deut. 27. v. 17.* Evangelium contra gratiam, & misericordiam Dei monstrat, in Filio mediatore promissam, nec non efficaci consolatione erigit perterrefactas conscientias, accenditque laetitiam in Deo acquiescentem, & spem certissimam vitae aeternae, juxta illud *Rom. 1. v. 16.* *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.*

XXXIX. Has differentias, qui rectè observat, & attendit, is non erit tam demens, ut divisionem hanc neget. Quod autem ab hoc Johanne à Daventrià fuerit negata, mirum non est, cum in papatu, & cum primis tempore exhibitae Confessionis doctrina legis & Evangelii pessimè confunderetur, adeò ut Lutherus noster illum pro erudito Doctore Theologiae habuerit, ac judicaverit, qui doctrinam legis & Evangelii rectè sciret distinguere.

XL. Tertio, quod Pontificii Christum introducant, tanquam Novum Legislatorem, contra omnem rationem, & omnem scripturam faciunt. Christus enim non venit, ut solveret legem, & in ejus locum aliam substitueret, sed ut impleret, & esset ejus fidelis interpretes, & an.

& annunciator revelatorque Evangelii, & arcani illius decreti Dei patris sui cœlestis erga genus humanum, quod ex sinu ejus nobis attulit, & enarravit.

XL I. Quarto quod attinet errorem illum, quem crassissimum hic errat Johannes de Daventriâ cum cæteris Pontificiis, quo fingunt meritum, quod bona opera ad salutem nostram efficiendam & promerendam obtinent, propria suâ eâque planè stupenda vanitate & impietate corrui: id quod vel ex solâ enumeratione dogmatis hujus Papistici abundè elucescit.

XL II. Faciunt autem meritum illud triplex: Congruum: Digni & Condigni: ubi verò plerique meritum digni & condigni pro eodem sumunt. Hæc autem Romæus ita breviter comparat. Nempè, si doctioribus creditur, illud dici posse meritum de condigno, cui merces reddenda est secundum justitiæ debitum: ita sanè, ut inter meritum & mercedem attendatur equalitas quantitatis, quemadmodum in commutativâ justitiâ, putatantum quantum. De congruo autem dicitur quis mereri, cum scilicet inter meritum & premium non paritas quantitatis, sed proportionis attenditur. Illustrationis quoque gratiâ hypothesin subjicit operarii diurno denario conducti. Huic enim deberi non nisi denarium, nempè ex condigno, strenuè tamen laboranti nonnihil superaddi ex Domini liberalitate esse congruum.

XL III. Id porro ad præsens negotium applicant, & meritum congrui dicunt actum liberè elicitum ab homine acceptumque à DEO ad retribuendum, non ex debito justitiæ, sed ex solâ acceptantis liberalitate. Atque hoc meritum, aiunt, præcipuè locum obtinere in nondum renatis: qui gratiam Dei primum ex congruo mereantur. Nam dicunt, si peccator facit, quod in se est, hoc est, actum, & voluntatem peccandi deserat, & possibili conatur in bonum; tum decere Deum atque congruum esse, & conveniens, ut ipse ex liberalitate, & bonitate suâ, suam gratiam tali peccatori conferat.

XL IV. Meritum Digni vocant Idoneitatem operantis ad assequendum quod meretur. Et meritum hoc locum habere in renatis ac justis, quando hi operantur pro aliis, ut cum orant pro peccatoris conversione. Nam, inquiunt, justum id esse apud Deum, ut justus audiatur apud Deum, vota faciens pro peccatore. Atque hinc apud Romanenses ortum

traxerunt suffragia, orationes Missæ votivæ pro peccatis tum
vivorum tum mortuorum.

XLV. Meritum condigni nominant actum justum per gra-
tiam Dei à voluntate elicitum ad præmium sive mercedem secundum de-
bitum justitiæ retribuendam. Hæc sunt suavissima illa somnia ex
campo Elysi.

XLVI. Quæ porro applicant ad opus justificationis ac
salutis nostræ, docentque, si opus meritorum consideretur se-
cundum quod procedit à Spiritus Sancti gratiâ, tum esse me-
ritorium vitæ æternæ, & hominem in gratiâ constitutum pos-
se mereri vitam æternam ex condigno, ut habet Thomas, qui in
prima secunda quæst. 114. art. 3. hanc facit conclusionem: Homo in gra-
tia constitutus vitam ex condigno meretur æternam. Eamque porro in
responsione ita explicat: Dicendum, quod opus meritorium hominis
dupliciter considerari potest. Vno modo secundum quod procedit ex libero
arbitrio, alio modo secundum quod procedit ex gratiâ Spiritus Sancti. Si cõ-
sideratur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero
arbitrio, sic ibi non potest esse condignitas propter maximam inequalita-
tem, sed ibi est congruitas per quandam equalitatem proportionis. Vide-
tur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem Deus re-
compenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de o-
pere meritorio, secundum quod procedit ex gratiâ Spiritus Sancti, sic est me-
ritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secun-
dum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam. Attendi-
tur etiam precium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo con-
sors factus divinæ nature, adoptatur in Filium Dei, cui debetur hereditas
ex ipso jure adoptionis, secundum illud Rom. 8. Si filii & heredes. Hæcte-
nus Thomas.

XLVII. Verum enim verò impietas hujus doctrinæ
atrocior est, quàm ut verbis satis exaggerari queat: crassior,
quàm ut multis refutari debeat, quamvis admodum subtiles
hic Jesuitæ cum suo Thomâ videri velint. Quis enim non intel-
ligit verè Christianus, dogma hoc manifestam inferre, idq; bla-
spphemè, injuriam sacrosancto Christi merito: cui derogatur,
quicquid humanorum operum meritis, vel ex minimo etiam
tribui-

tribuitur? Deinde etiam manifestam secundum doctrinam Pauli implicat contradictionem; hominem suis operibus promereri vitam æternam: quippe juxta cujus effatum, meritum & gratia divina in actu justificationis & salvationis se mutuò simpliciter excludant, *Rom. II. v. 6.*

XLVIII. Quid? quod dogma hoc Jesuiticum planè sit *ἀσύντακτον*, primum enim committit hominem peccatorem, licet renatum, cum justitiâ Dei: quam omnes sancti semper sunt deprecati, & à foro justitiæ divinæ ad forum misericordiæ provocârunt. Deinde gratiam quoque cum justitiâ, & quidem quoad respectum meritorium non magis conjungit, quàm confundit, dam ex operibus renatorum debitis meritum quoddam, quasi indebitum elicit, & ex debiti sui redditione Deum homini debitorem facit. Ubi rursus praxis omnium Sanctorum est in contrarium: quippe qui omnibus suis, aliorumque renatorum operibus, & passionibus omnem omninò dignitatem promerendi vitam æternam denegarunt, omnemque dignitatem, si quam optârunt, in Dei misericordiâ quæsiverunt, & sic omnem gloriationem ex merito & cruce Christi petiverunt, ut qui solus nobis sit factus à patre sapientiâ, justitiâ, sanctificatio, & redemptio, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. *I. Cor. I.*

XLIX. Cæterùm, quod Thomas faciat diversos respectus ad diversas causas efficientes, nempe ad Spiritum Sanctum & ad hominem, indeque alium atque alium valorem operis arguit, vanissimum est. Nam licet Spiritus Sanctus operetur, tamen non operatur immediatè, sed mediante homine, adeò ut non censeatur tam Spiritus Sancti, quàm hominis opus; proindeque non eo tam Spiritus Sanctus aliquid mereatur, si omninò meritum quoddam concedendum, quàm homo. Quia ergo licet opus hoc sit à duplici causâ, tamen non est duplex opus, sed unum; utique de unius hujus operis præstantiâ, dignitate ac valore quæstio est: an, quia sit ab homine à Spiritu Sancto moto & acto, habeat in se vim meriti; sive ex condigno, sive ex congruo. Jam autem utramque dignitatem tribuit Thomas huic

huic operi: Ergo ejus & dignitas, & meritum non est exiguum; sequiturque omnino, quod homo renatus sibi mereri possit vitam æternam, idque opere suo, non opere meritorio CHRISTI: quod pugnat cum scriptura, cum merito Christi, & respectu sui involvit contradictionem.

L. Cum scripturâ & manifestâ institutione Christi pugnat Johan. 6. v. 40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam; & ego suscitabo eum, (nempe ad vitam æternam) in ultimo die.* Et Johan. 20. v. ult. *Hæc autem scripta sunt, ut credatur, quod Jesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.*

LI. Contra meritum Christi: quia tota Christi obedientia, passio, mors & victoria in eum finem fuerunt susceptæ ac peractæ, ut tanquam Salvator noster pro nobis impleteret legem, satisfaceret iræ Dei, nos cum Deo reconciliaret, & sic Justitiam illam veram coram Deo valentem, & vitam æternam soluto sufficiente λύτρω nobis mereretur, nosque per fidem haberemus & possideremus, juxta illud Rom. 10. v. 4. *Finis hoc est impletio legis Christus ad justificationem cuius credenti.* Illud jam meritum, & λύτρω, aut est perfectum, & sufficiens; aut est imperfectum, & insufficient. Si illud: quid opus est nostro merito? Imò si aliquid mereri nos nobis imaginamur, perfectioni & sufficientiæ meriti Christi detrahimus, idque insufficient & imperfectum facimus: Si imperfectum: sequitur quod opera à Deo immediatè producta sint imperfecta: quod absurdum. Quid? quod propterea ipsi nomen Jesus κατ' ἐξοχὴν tributum sit, quod ipse (nempe solus) salvum facere velit ac debeat populum suum à peccatis ipsius, & sic vitam æternam ipsis promereri: quippe qui traditus est in mortem propter offensas nostras, & excitatus propter justificationem nostram, Roman. 4. v. ult.

LII. Tandem contradictionem implicat, habere υιοθεσίαν, & hæreditatem vitæ æternæ, & deinde adhuc eam velle vel debere operibus suis mereri: Atqui justificati & renati habent υιοθεσίαν & sunt hæredes vitæ æternæ: quia enim credunt
in Fi-

in Filium, dedit eis jus & dignitatem, quod sint Filii Dei, *Johan.*

1. v. 12.

LIII. Horum quoque opera, licet propter praesentiam & efficaciam Spiritus Sancti sint sanctificata, quod personae sint justificatae, & sic sanctificatae, proindeque promissionem quidem habeant, non tamen habent promissionem ipsius aeternae, uti neque hujus vitae: ut vel hanc vel illam operibus ipsi possimus, si modo velimus, mereri: sed duntaxat alicujus retributionis, ut in hac, sic in altera aeterna vita. Hujus ergo retributionis, si participes esse velimus, necesse est, ut quemadmodum hanc temporalem, sic quoque illam aeternam vitam habeamus ante actum istorum operum, ut quemadmodum in hujus, sic & in vitae aeternae possessione illorum retributio, nempe quae est in differentiâ gloriae *1. Cor. 15.* contingere queat. Deinde promissio quoque hujus retributionis nequaquam fundatur in merito horum operum, quod planè nullum est in conspectu Dei, sed unicè est & pendet à gratiâ, quâ Deus propter imputatum meritum & justitiam Christi, personam & sic omnia, quae bona in illa sunt, & ab illa effectivè pendent & proficiuntur, complectitur.

LIV. Dictum *Johan. 4. v. 14.* inconvenienter allegatur, quâdoquidem ibi nihil Christus agit de bonis operibus, sed de aquâ vitae, per quam intelligit spiritualia beneficia nos ad vitam aeternam redimentia & conservantia, sicut & *Esa. 55.* ubi inquit, *Omnes sitientes venite ad aquas, vos, quibus non est argentum, (hoc est, quibus nulla sunt merita bonorum operum) venite, inquam, emite absque argento, &c. (arrige aures Sophista!) absque ullo pretio vinum & lac.* Item Dominus hoc sensu seipsum nominat panem vivum *Johan. 6.* Nihil ergo hic de bonis (ut dixi) operibus: sed de illa aquâ spirituali, cujus virtus non aliquot dierum aut mensium spatio terminatur, sed neque totius hujus caducæ vitae circulo periodoque circumscribitur, sed quae incredibili suâ virtute hominem ad immortalitatem, & vitae aeternae fruitionem recreat, atque reficit. Quae sanè nequaquam operibus nostris; sed cruci Christi, carni & sanguini, meritoque Christi, &

o

toti

& toti pro nobis legi præstitæ obedientiæ fide applicatæ adscribi, & tribui possunt, & debent.

L V. Tandem quæ est consequentia: Nos sumus hæredes vitæ æternæ: Ergo opera nostra merentur vitam æternam? Ianè nulla. Quandoquidem sunt opposita, hæreditas & merces. Si ergo hæreditate habemus vitam æternam; certè non mercede. Quandoquidem ipso nomine docemur regnum illud venturæ beatitudinis non esse stipendium servorum, sed gratuitam hæreditatem filiorum. Et ipsa filiatio non ex operibus provenit nobis: sed ex filiatione opera: quia non possumus operari benè, ut Patri nostro cœlesti nostra placeant obsequia, nisi jam simus filii, & à filiis illa sint profecta.

L V I. Quintò de Gratiâ, ut Johannes de Daventriâ eo tempore, sic hodieq; Jesuitæ philosophantur, nempe gratiam, quam qualitatem infusam, & habitum definientes, simul dividunt in Gratiâ gratis datam, & in Gratiâ gratum facientem.

L V I I. *Gratiâ gratis datam dicunt esse donum supernaturale, absq; ullo debito, ad aliorum specialem salutem præcipuè collatum 1. Cor. 12. v. 4. Divisiones gratiæ sunt, sed idem Spiritus. Gratiâ gratum facientem dicunt esse donum supernaturale, absq; ullo debito ad propriam uniuscuiusq; spiritualem salutem potissimum datum 2. Cor. 12. v. 9. Sufficit tibi gratia mea.*

L V I I I. Has gratias porrò à se invicem ita distinguunt, quod gratia gratum faciens potissimum detur ad propriam unius cuiusq; salutem, secundario ad aliorum; nimirum ut nos ipsi primùm justî & perfecti efficiamur; & deinde cæteri nostra videant bona opera, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlu est. Et subdividunt illam in gratiam permanentem & habitualem: & in gratiam auxilii specialis. Per illam igitur intelligunt infusos habitus, Fidei, Spei, Charitatis, ac præcipuè charitatis. Gratiâ auxilii specialis finiunt motionem cordis, quâ homo ad operationes, quæ naturam suam aliquo modo superant, adjuvatur. Gratia tandem gratis datâ sic concessa primò ad aliorum salutem promerendam. Videatur Bellarm. l. 1. de Grat. & lib. arbit. c. 2.

L I X. Verum & hæc opinio omnium absurdissima est
in uni-

in universâ Theologiâ: Quandoquidem sine ulla scripturæ auctoritate partitiones illæ finguntur. Nam licet addantur dicta, nihil tamen illa ad rem faciunt, ut distinctionem hanc stabiliant. Deindè quod nulla dona inhærentia nos salvos faciant, disertè suo hoc Epiphonemate docet Christus Luc. 17. v. 10. *Si omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Tantùm abest, ut nobis aliqua inhæreat gratia gratum faciens: sed hæc gratia est sola gratuita Dei misericordia, quâ in filio nos sibi fecit dilectos & acceptabiles, Ephes. 1. v. 6.

LX. Quocirca quicquid in nobis est gratiarum sive donorum, id ad gratiam gratis datam pertinet, neq; speciem cõtra distinctam Gratia gratum facientis, nobisq; habitualiter inhærentis, constituit.

LXI. *Sexto*, quod fidem concedat & defendat consistere posse cum peccato mortali, oritur ex communi Pontificiorum errore, quem habent de fide; nullam aliam, quàm historicam agnoscetes. Demonstravimus autem nos, quod fides historica à fide justificante sit distinctissima, & licet concedamus, illam simul cum peccato mortali conjungi, & simul in eodem subiecto, imò in ipso Diabolo, esse posse: pernegamus tamen veram fidem justificantem in homine, in peccatis mortalibus, & cõtra conscientiam vivente, locum habere, cum ea saltem sit propria fidelium sive Filiorum Dei: qui templa sunt Spiritus Sancti.

LXII. *Septimo*, Non dilectio est forma ac vita virtutum sive bonorum operum; sed fides. Ut enim fides facit, ut simus in favore Dei; sic propter fidem, vel potius Christum, per fidem in nobis habitantem, Deo quoq; nostra opera probantur, & iusta censentur. Defectus enim, qui illis adjacet, merito Christi legitur, & justitia ejus compensatur.

LXIII Tandem vitiosissimè & non sine impietate facit, & connectit hic Papanus opera Christi & hominum, ut evadat integrum & perfectum. Profectò nihil potest hoc impio dogmate in Christum dici magis cõtumeliosum; adeò ut Costerus Jesuita in Enchiridio suo, & quidem in loco de justificatione

tione graviter reprehendat summam dicens: *nulla creatura opera remissionem ullius peccati mereri posse*: Nimirum hic summus, quem jaſtant, Papistarum conſenſus, etiam in graviffimo hoc fidei articulo.

LXIV. Johannes Cochleus probat conciliationem, quæ Auguſtæ in Septemvirorum colloquio facta eſt, hunc in modum: *Quod juſtificatione ſive remiſſio peccatorum fiat per gratiam gratum facientem, & fidem formaliter, per verbum verò & Sacramenta instrumentaliter*. Ferre verò non poteſt locutionem illam, quod ſola fide juſtificemur: *quam appellat ſcandalofam & ſimpliciter falſam, & tandem abire jubet in malam crucem*.

LXV. Verùm quid hic aliud facit, quam quod in actu juſtificationis opera cum fide conjungat, illaq; proximam cauſam noſtræ juſtificationis conſtituat, & ſanè fidem non ut applicationem & relationem ſumptam, ſed quatenus & ipſa eſt ali- quod opus, conſideret, & ſic formam juſtificationis faciat? quo ſanè modo, ut omnia opera ex juſtificationis actu excluduntur, ſic quoq; ipſam fidem excluſam volunt ſacræ literæ; cum & ipſa hoc modo accepta opus ſit: & nequaquam formaliter, ſed tantùm instrumentaliter juſtificet. Quomodo etiam ferret noſtram orthodoxam phraſin *Solam fidem juſtificare*: cum illa cum errore ipſius nequaquam ſtare queat?

LXVI. Johannes Hoffmeiſterus modestus vult videri: idq; quoad verba concedere poſſemus; non enim Cochlei importunitate noſtram doctrinam ſtatim in malam crucem abire jubet: interim quoad rem ipſam non diſſentit: quippe approbat Scholaſticorum dogma de merito congrui & condigni, ſed non ſine contradictione. Sic enim ſcribit: *Non arbitror quenquam tam ſtolidum, qui dicere auſit, opera noſtra coram Deo, propter ſuam ipſorum bonitatem, & ex ſua naturâ, accepta eſſe, nec ipſa egere miſericordiâ & propitiacione Chriſti*. Adhuc ille: cui ſanè multi Papiftæ hac in parte contradicunt.

LXVII. Uti etiam in hoc cæteris contradicit, quod commendat eos, qui docent, operariorum hunc debere eſſe ſcopum primarium, ut ipſorum opera potius gratiarum actio, quàm quadam inter Deum & homines commutatio dicenda ſit. Quam ſanè ſententiam ſi omnes
Pon:

Pontificij & Jesuitæ seriò approbarent, de bonis operibus concordia facile esset speranda & obtinenda.

LXVIII. *Alfonſus Virveſius Philippica 4. docet, ac defendit juſtos nos eſſe fide & caritate, neq; unum ſine altero ſufficere ad juſtitiam ſive juſtificationem. Et ut opera noſtra mereri poſſint, dicit, infinitam quandam iſtis vim & efficaciam à Chriſto comunicari. Quod alii ſic explicant, opera non mereri per ſe & virtute ſua, ſed quaſi ſint aſperſò ſanguine Chriſti. Quaſi verò Chriſtus operibus hoc meruerit, ut iſſi vitam æternam mereri poſſint. Sanè de hoc phantaſmate nihil intelligit ſcriptura.*


LXIX. *Explicat nihilominus Virveſius ſuam opinionem inter alia hac ſimilitudine: ut imago principis, inquit, ſive ſigillum in papyro non habet aliquem valorem, neq; metallum valet ſine principis charactere: quando autem metallo character principis imprimitur, tum proba moneta cenſetur: ita propemodum inutilis eſt fides ſine operibus, atq; opera ſine fide. Unde porrò infert: Juſtitiam noſtram hanc eſſe, ut per bona opera inſcripta fide, caritate ſignata, mercedem comparemus illam, quam Chriſtus, pietatem ſtrenuè colentibus pollicetur.*

LXX. *Verum hæc illatio nulla eſt; ſed inanis ac ficta hypotheſis, ita fidem & opera conjungenda eſſe, ſi juſtificate debeant: ut in moneta & inſcriptio principis, & metallum conjunguntur, ſi certum valorem habere debeant. Eſſe autem hic maximam diſſimilitudinem, fidemq; cum bonis operibus in actu juſtificationis non eſſe conjungendam, ſed ſolam juſtificare, ut in præcedentibus ſufficienter probavimus; ſic bona opera nullam habere vim merendi, vel juſtitiam, juſtificationemvè, vel ipſam vitam æternam, id proximè ſubſequentibus diſputationibus cum Deo ad oculum demonſtrabimus.*

SOLI DEO GLORIA.

D

Ad


Ad præstantissimum & do-
ctissimum Dn. Respondentem, ami-
cum suum dilectum.

Turba Papistarum nimium ob bona facta
superbit,

Quæ plenis buccis magnificare solent;
Quæ sibi non solum cœlestis munera vitæ,
Ast aliis etiam conciliare queant;

Cum tamen ingenti factorum mole malorum
Oppressi ad Stygias præcipitentur aquas:

Crimina Papatus pertingunt sidera cœli,
Hinc meretrix Babylon mox sua dupla fe-
ret.

Rasa cohors operum meritis confidere noli:

Non tua vita Deo, nec tua facta placent.

Quid contra Dominum moliris turba prophana?

Quid contra stimulum gens peritura ruis?

Vig₃ doloq₃ pium cœtum quid in orbe Lutheri

Persequeris? Christi Spiritus hocnè jubet?

Desine grassari, Scripturæ oracula disce:

Ex Christi pendet munere nostra salus.

Christi Justitiam primùm complectere, sicq₃

Facta bona ex fidei fonte profecta placent.

Dum

*Dum verò claro sub Præside doctæ Magister,
Papales audes dissoluisse strophas,
Gratulor ex animo tibi de felicibus ausis;
Nôsse Papam pergas, pergito amare Deum,
Queis Anti-Christi Romani dogmata sordent,
A Christo tandem premia larga ferant!*

M. Johannes Poltzius
SS. Theologiæ Stud.

F I N I S.



Dum vero clariss. Praefide doct. Magister
Papales auct. d. Ioh. Hoffmannus
Graviter ex animositate de se habet. anst.
Nost. P. Hoffmannus de se habet. anst.
Quis autem Christi Romani dogmata sequantur
A Christo tandem premittat. anst.

M. Johannes Polanus
22. Theologus

F. I. N. I. S.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







37

I TERTII
n Confessionem

TIO IV.

inens
RTICVLI VI.

peribus,

osita
emia VVittebergensi

S I D E
RTINI S.S.Th.

Primario, Facult. Theol.
pli Arcis Præposito,

NDENTE
ILGEN CHEMN.

Sax. Alumn.
Collegii Veteris
21. Martij.

BERGÆ,
S AVERBACH, Acad. Typogr.
DC XXX.

